



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Appellationibus. Consilium CLXXXIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98691](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98691)

in d. c. *Pastoralium* 5. *Ioach. Mynsing. cent. 2. observat.* 47. plerique tradunt de necessitate alterius appellationis à non delatione, l. *Iudex posteaquam d. De appellat.* constituto discrimine inter appellationem à sententia definitiva; & eam, quæ interponitur ab interlocutoria: quod & in iudicijs ita praticari traditur. Cum igitur hic agatur de appellatione interposita à sententia definitiva dicta die tricesima Augusti per præfatos Iudices lata, sufficere omnino debet unica hæc appellatio ab eadem sententia definitiva, sine ulla necessitate appellandi à non delatione. Et cum id necesse non fuerit, scrupulosius inquirendum non est, an ea secunda appellatio legitime interposita, ejusque prosecutio per temporariam apostolorum petitionem facta fuerit; ex prædicta ratione, quod superabundans cautela vitiose adhibita nocere aut vitare non debeat, d. l. *Testamentum*.

Quæ cum ita sint, nulla videtur esse dubitatio, quin appellanti permittenda sit interposita appellationis prosecutio, & appellato deneganda interpellatio & præmature petita remissio: nec aliter sine vitio attentari & innovari in præjudicium interpositæ appellationis statui posse videmus. Quod moderni D. Iudices ob id etiam magis propendere debent, ex eo, quod præfati priores Iudices non recte non detulerint appellationi à sententia definitiva interpositæ; cum ius appellationibus hujusmodi deferri omnino præcipiat etiam sub gravi pena, l. *Quoniam Iudices C. De appellat.* * & quamvis Iudex frivolis appellationibus deferre non teneatur, c. *Cum appellationibus De appellat. lib. 6.* non deferendo tamen non potest impedire, quo minus appellatio ad superiorem devolvatur, & illam appellans prosequatur, saltem ad finem illum, ut Iudex superior provocatus, non à quo provocatum est, iudicet, an admittenda seu recipienda sit appellatio & permittenda illius prosecutio, l. *si cum d. De appellat. recip.*

De Appellationibus.

S V M M A R I V M.

Apostoli petendi & quomodo.

1. Appellasse non censetur qui renuntiat vel deserit.
2. Desertio appellationis unde censetur.
3. Apostoli petendi.
4. Appellatio sine mandato interposita est nulla.
5. Apostoli unico contextu sæpius peti possunt.
6. Apostolos petens quando sæpius venire debeat.
7. Clem. Quamvis De appellat. intellectus.

CONSILIUM CLXXXIII.

PA R causa est illius, qui vel omnino non appellavit; vel appellavit quidem, sed appellationi suæ renuntiavit, aut eam deseruit, l. *fin. in fine C. De appellat.* † Deseritur autem appellatio non tantum, si nulla illius intra juris fatalia fiat prosecutio, verum etiam si tantum omittatur apostolorum petitio, aut hi non petantur uti oportet, d. l. *fin. §. illud*: quia ut appellationis omnimoda omisso causam non devolvit, ita & neglecta apostolorum petitio desertionem & velut renuntiationem appellationis inducit, quæ planè impedit devolutionem causæ ad superiorem. Proinde cum à sententia lata per Præpositum

Walcuriensem in favorem Theodorici de Leeuwe, contra Ioannem Leyckens, appellatum quidem sit, sed apostoli ritè & secundum præscriptam à iure formam minime petiti à Iudice, qui sententiam dixit, certum est, appellationem dicti Ioannis vivæ voce interpositam tamquam desertam pro nulla habendam esse, Clem. *Quamvis de appellat. per totum*. Quo constituto, sequitur Venerabili D. Decano nullam competere jurisdictionem in causa appellationis, quæ non intelligitur, neque in rerum natura tempore commissionis Apostolicæ fuit.

Neque ad rem pertinet, quod in instrumento appellationis per dictum Ioannem exhibito aperte contineatur, M. Ottonem Hæften procuratorem substitutum M. Walteri Remigij procuratoris dicti Ioannis ab eadem sententia appellasse ad Sedem Apostolicam & primò, secundo, tertio, instantè, instantius & instantissimè petisse sibi responderi de apostolis. † Nam in primis non constat de dicti Ottonis substitutione ac mandato ad appellandum; quo ipso ab initio appellatio nulla censeri debuit, etiam si postea ab ipso appellante aut Waltero Remigij ipsius vero procuratore apostoli essent petiti, l. *1. in princ. De appellat. recip. vel non l. Ab executore §. 1. de appellat.* Deinde præsupposito mandato dicti Ottonis, huiusmodi petitio unico momento toties repetita & congeminata non sufficisset: * nam quamvis Iudice ultro postea respondente aut tacente sufficiat sibi in continenti unico contextu petitos esse apostolos, d. Clem. *Quamvis in princ.* si tamen ad petitionem sic unico contextu congeminatam, Iudex dicat se responsurum de apostolis in termino juris & interim, (quemadmodum in casu proposito factum est) l. *1. necesse est appellanrem post huiusmodi responsionem, postea durante termino juris, hoc est intra triginta dies ad Iudicem reverti, & congruo loco ac tempore instantè, & sæpius saltem unico contextu apostolos petere; alioqui suæ appellationi renuntiasse videbitur, qui id facere neglexerit, d. Clem. Quamvis §. similiter, & ibi Card. Zabarella, Imola, Pet. de Anchar. & alij. Quod cum tam manifestè à iure sit dispositum, neque ex dictæ appellationis instrumento constet dictum appellantem aut ejus procuratorem post prædictam Præpositi responsionem, ad eundem Præpositum recessisse, & rursum apostolos petisse; mirum est, quo colore Advocatus partis adversæ tam claræ juris dispositioni obnuitur, & dicti appellati causam auctoritate Venerabilis viri D. Michaelis Driutij Officialis Leodiensis premar: cujus auctoritati ut nihil derogatum cupimus; ita sanè juris dispositioni clarissimè indubitato adhaerendum putamus.*

Rectè sentit idem D. Officialis, si, cum uno 7 contextu sæpius apostoli sunt petiti, existimat, non opus esse amplius eos petere; nam id aperto iure cautum est, d. Clem. *Quamvis in princ.* sed si hoc quoque casu unicam petitionem uno contextu sæpius repetitam putat sufficere, cum post apostolorum petitionem Iudex respondit se in termino juris & interim responsurum, toto cælo errat, d. §. *similiter*; neque eo casu ipsius auctoritati legis cedit potestas. Quod igitur de gemino intellectu istius iuris dispositionis somniat Advocatus, ingenij pen- si nihil habet: si ad hanc causam id applicare volet.

voler. Quinimò si in universum & perpetuò existimet petitionem apostolorum uno contextu sapius & instantè factam sufficere, multo magis aberrat; & juris communis intellectu destituitur, & Clementinæ constitutionis & Glossarum totum contextum vel non legitime se ostendit, quod incivile est, l. Incivile est De legib. vel pro parte dissimulare velle, quod calumniæ notâ non caret, l. Regula in princ. De iurâ & facti ignor. l. Leges C. de leg. l. Si prator De iud. §. 1. in Auth. De equal. dor. Existimo itaque partes Venerabilis D. Decani esse, ut decernat se hujus causæ & inter partes iudicem competentem non esse.

De Appellationibus.

S V M M A R I U M.

Appellationum apostoli & desertio.

1. Rescripta limites suos excedere non debent.
2. Rescriptum defectu appellatione impetratum est nullum.
3. Apostoli non petiti inducunt appellationis desertionem.
4. Sententia contra sententiam non valet.
5. Apostoli uno contextu sapius peti possunt.
6. Apostoli ab ipso iudice petendi.
7. Appellatio extrajudicialis quando admittatur.
8. Nullitas maxima, quæ causatur ex incompetencia iurisdictionis & semper opponi potest.
9. Sententia a non iudice lata à pliciter nulla.
10. Appellationis desertio causam ipso iure ad iudicem à quo devolvitur.
11. Dictiones unâ & cum quomodo coniungantur.
12. Appellationis desertio quomodo extinguat iurisdictionem.
13. Delegatus ad rem certam de alia indicare nequit.
14. Commissio causæ appellationis ab interlocutoria, cum incidentijs, annexis, & conexis, quid importet.
15. Desertionis effectus quis sit.
16. Procurator sine speciali mandato non prorogat iurisdictionem.

CONSILIUM CLXXXIV.

ARdua & perplexa est causa appellationis, quæ coram Venerabili D. Officiali Leodiensi Lovanii residente indecisa pendet inter Magistrum Franciscum Alardyn appellantem; & Reverendam D. Abbatissam ac conventum Monasterij Beate Raygenfredis de Denario appellatam; tot articulis & incidentibus questionibus multiplicata, ut qua in parte status & punctus causæ constitui debeat, vix post longam disquisitionem deprehendi possit. Ut igitur aequissimi D. Iudicis laborem in illius examine & discessione aliquantulum sublevemus, relictis alijs ipsius perspicacissimo iudicio, unicuique hunc pertinetur, qui præcipuam difficultatem habere videtur, demonstratam sententiam D. Iudicis secundæ instantiæ verè fuisse nullam, & ob id illius nullam nunc fieri posse confirmationem; sed primam sententiam secundum partem nunc appellantem in prima instantia latam vel transivisse in rem iudicatam, vel saltem esse confirmandam.

Et sanè si idem nunc esset status causæ, qui erat tempore, quo iudex secundæ instantiæ adversus desertionem appellationis restituit præfatam Abbatissam, multis ex causis defendi & probari pos-

set, nulla esse omnia, quæ postea acta sunt. Ceterum quando ab eo de reo appellatum non est, & de causa principalis appellationis cognitio suscepta, abstinemus à reiteratione illarum causarum, quas processus ad ulteriora aliqua ratione sustulisse videri potest. Equidem cum rescriptum restitutionis in integrum pro parte dictæ Abbatissæ in secunda instantia impetratum, ad certum articulum restitutionis fuerit restrictum, & tantum contineat restitutionem adversus rem iudicatam & lapsum fatalium, ob impedimenta, quæ in Abbatissæ supplicatione specificè fuerunt expressa; non est parti nunc appellanti prærepta occasio ex alijs causis desertionem, & actorum secundæ instantiæ nullitatem proponere. Rescripta enim cum strictè accipiuntur, l. Eleganter §. si quis post De condit. indeb. c. sedes De rescript. c. Cum olim 1. De off. deleg. limites suos excedere non debent, neque ultra causas in ijs commemoratas extendi, d. c. Cum olim.

Omissa igitur desertione appellationis, quæ in prosecutione appellationis post prius rescriptum per Abbatissam in secunda instantia impetratum admissa fuit, & ad eam respicientes, quæ impetrationem illius rescripti antecessit, dicimus (prout etiam in hac tertia instantia iure permittente, l. Eos §. si quid autem C. De appel. Bart. l. 1. C. Quando provoc. non est necesse, appellans allegavit, & ipso id allegare contentente per D. Iudicem, propter summam illius notorietatem ex actis ipsis relictam, nullaque alia extrinsecus probatione egentem, ex officio suppleri possit, Doct. in l. unica C. Ut que des. advoc. part. Decus in c. Ex insinuatione nu. 8. De appel.) primam sententiam diu ante impetratum rescriptum transivisse in rem iudicatam; & ideoque rescriptum postea priore etiam loco pro parte dictæ Abbatissæ tunc appellantis impetratum verè fuisse nullum; puniatur enim qui deserti appellatione id impetrat, & ipso iure rescriptum est nullum, l. pen. & ult. C. Ut lite pend. l. fin. & ibi Bald. C. Sent. rescindi non posse. * Hoc autem in eo constituitur, quod ex actis evidenter conset, pro parte Abbatissæ appellantis in prima instantia non esse petitos apostolos, quemadmodum de iure oportuit, clem. Quamvis De appel. intra triginta dies, computandos live, ut quidam, glos. in d. clem. Quamvis, volunt à tempore lata sententiæ, live, ut communius receptum est, Zabarel in d. clem. Quamvis, nota decis. 29. Fuit dubitatum, alias est §. De appellat. in novis, ab interpositione appellationis. Sententia enim lata fuit 14. Maij, appellatum 21. Maij, insinuata iudici appellatio 23. Maij, apostoli autem petiti demum ultimâ Iunij. Quæ quidem apostolorum petitionis omissio impedit devolutionem appellationis ad superiorem, c. Romana §. si vero de appel. lib. 6. & sententiam latam ratificat; & sic quidem, ut ipso iure annullat sententiam, in affectato appellationis iudicio contra illam priorem latam, Alex. cons. 59. Viso titulo nu. 7. vol. 4. & sententia enim contra sententiam quæ in rem iudicatam transivit, non valet, c. Inter monasterium De sent. & re iud. l. 1. & ibi Bald. C. Sent. resc. non posse, l. Vbi sententiam C. De sent. Alex. cons. 79. In causa & lue n. 4. vol. 7. Cum ergo eo respectu non fuerit devoluta appellatio Abbatissæ ad superiorem, rescriptum super ea impetratum verè nullum, velut efficiente